



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

Bruno, Vincenzo

Coloniæ Agrippinæ, 1598

II. De Natiuitate B. Virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](#)

DE NATIVI-
TATE BEATISSI-
MAE VIRGINIS MA-
TRIS DEI.

MEDITATIO II.

EVANGELIVM.

Matib.1.

LIBER generationis IESVS
Christi filij Dauid , filij A-
braham . Abraham genuit I-
saac , Isaac autē genuit Iacob , Ia-
cob autē genuit Iudam & fratres
eius , &c. Iacob genuit Ioseph vi-
rum MARIAE , de qua natus est
Iesvs , qui vocatur CHRISTVS.

FIGV RAE.

Gene.2.

1. **E**V A data primo Adamo in fo-
ciam , nata est tota pura & in-
nocens , à Deo ex ipsius Adami costa
formata .

2. ANNA

2. ANN A sterilis suis orationibus à Deo impetravit filium, quem se oblaturum in templum ad ministrandum Domino promisit.

PROPHETIAE.

1. **Q**UAE est ista, quæ progreditur Cant. 6.
quasi aurora consurgens, pulchra
ut luna, electa ut Sol, terribilis ut castro-
rum acies ordinata?

2. Orietur stella ex Iacob, & consurget Num. 14.
virga de Israhel.

3. Egredietur virga de radice Iesse, & Esa. 11.
flos de radice eius ascendet.

CONSIDERATIONES.

CONSIDER A quam ingens
fuerit lætitia, quam tantæ Vir-
giniis dies natalis attulit mūdo, quā-
tus splendor ei accesserit ortu huius
noui Solis, multo amplius quam Sol
iste materialis resplendentis. Et pri-
mo quidem lætati sunt angeli, dum
vident in lucem editam illam, quæ
corum erat ruinas restauratūra.
Deinde lætati sunt & homines,
quia nata erat illa per quam opus

36 MEDITAT. DE

redemptionis generis humani erat
complendum. Lætati quoque sunt
sancti illi Patres, qui sedebant in te-
nebris, cum inteligerent illam in
mundum venisse, cuius opera libe-
randi erant à tam diuturna dura-
qué captiuitate. Verum & pecca-
tores magnam lætandi causam ha-
bent: quia hodie ingressa est mun-
dum illa, cuius interuentu remissio-
nem pecatorum suorum cōsequen-
tur: ipsa enim est fons exundans
pietatis, & mater omnium miseri-
cordiarum. Cogita deinde specia-
tim, quantum gauisi sint ciuius paren-
tes sancti, Ioachim & Anna, quod
post tot sterilitatis annos in extre-
ma senecta à Deo obtinuerent do-
num tam singulare pariendi vnam
filiam tam sanctam, tot virtutibus
præditam; debebat enim (quod iam
à Deo eis erat reuelatum) omnibus
mulieribus, quantumuis celeber-
ximus, quæ ante eam vñquam fui-
sent, antecellere. O beati parentes,
quibus tantum debent omnes crea-
turæ; quia vestra opera tam excel-
lens donum, omni alio dono ante-
ferendū oblatum est creatori. O bea-
tus Annæ venter, qui pēperit hoc
dōnum

B. VIRGIN E.

37

nouum cælum, longe ipsis cælis ca-
pacijs. O beata ybera, quæ meruerunt
alimentū suppeditare nutrici eius,
qui totum mundum alit & pascit.
Gaudeant ergo & cæli; & terra exultet,
quia hodie portæ steriliū ape-
riuntur, & diuinam illam virgine. *Ezech. 44.*
amque portam pariunt, per quā so-
lus Deus Opt. Max. transire debebat
& ingredi in mundū. Exulta Anna
sterilis, quæ nō pariebas, ac pariter
exulta tu quoq; loachime, quia ex fi-
lia tua nascetur filius, cuius nomen
est Emanuel, hoc est, nobiscū Deus. *Isa. 7.*
Repleatur terra laudibus, & montes
exiliant, quia hodie ortus est ille
mons Dei altissimus, qui superat o-
mnes alios montes, & colles: quia
excedit omnem angelorum simul
& hominum sublimitatem. Quo ex
monte abscessus est lapis ille angula-
laris, CHRISTVS IESVS, qui exci- *Dan. 2.*
so dæmonis imperio suæ Maiestatis
amplitudine totum mundum com-
pleuit. Mons verè Dei, mōs pinguis, *Psal. 67.*
mons coagulatus, in quo ipsi Deo
habitare complacuit. O miraculum
supra omne miraculum: mulierem
anteferri altissimis Seraphinis, &
Deum mundo apparere ipsis angelis

B 7 mino-

38 MEDITAT. DE

minorē. O filia sanctissima, quæ maternorū vberum lacte nutrita es, & vndiq; angelis, circundata. O filia, tam cara Deo, & tantum parentibus tuis decus & ornamentū, ab omnibus generationibus, (vti bene de te ipsa dixisti) prædicata & fælix pronunciata. O filia super omnes alias Deo digna, humanæ naturæ pulchritudo, & omnium mulierum ornamentum, quæ prudentia tua erratū primæ matris Euæ correxisti, & omnibus alijs fœminis viuū honestatis, virtutumq; omnium speculum fuisti. O rosa intra Iudaici populi spinas exorta, cuius diuina fragrantia, odorq; virtutum per totum orbē terrarū diffusa est. O turtur castissima, cuius optata vox cæpta hodie audiri in terra nostra, omnes noua & incredibili lætitia compleuit, quæq; natali tuo vniuersæ hominum saluti fælix principium fecisti. Merito igitur exultat Ecclesia sancta, quia hodie spōsi eius mater nata est, regina mudi, fenestra celi, paradiſi porta, tabernaculum Dei admirabile, & scala illa cœlestis, per quā supernus Rex exinaniens se descendit, & homo ad terram afflictus se erexit, & ascendit

Eccles. 24.

Apoc. 21.

Gen. 28.

ij

B. VIRGINE.

39

in cælum. Hodie quoque appauuit
stella matutina, illa aurora confur-
gens, quæ attulit iustitiæ solem, suis
radijs totum orbem collustrantem:
stella illa, de qua dixit Propheta, O Num. 24.
rietur stella ex Iacob: Hodie deniq; na-
ta est illa pulcherrima Virgo, è cuius
virginali thalamo tanqua spōsus e-
gressus est speciosus supra oēs fili-
os hominū. Exultemus ergo & nos, Psal. 18.
gestiamus, & triūphemus, dicamus Psal. 44.
que cū Ecclesia Natiuitas tua Dei geni-
trix Virgo, gaudium annūciauit vniuerso
mūndo; ex te n. ortus est sol iustitiae Chri-
stii Domini nostri, qui soluēs maledictio-
nē, dedit nobis benedictionē, & confun-
dēs mortē, donauit nobis vitā sempiternā.

2. C O N S I D E R A quanta fue-
rit huius virginis nobilitas; nā eius
progenitores tanto splendore nata-
lium effloruerunt, vt lōgissimè om-
nes alias stirpes & prosapias, licet cla-
rissimas excesserit, de qua nobilitate
scriptū est in psona ipsius virginis.
Et radicauit in populo honorificato. Vbi Ecel. 24.
considera, populū, à quo quis origi-
nē trahit, quatuor de causis posse di-
ci honoratū. Primo ex nobilitate. Se-
cundò ex potētia & opibus. Tertiò ex
sapiētia. Quartò ex sanctitate: quib⁹
de

40 MEDITAT. DE

de causis totus populus Iudaicus illius
Iustior fuit ceteris omnibus. Et pri-
mo quidem ob nobilitatē generis,
quia à magnis illis Patriarchis Abra-
ham, Isaac & Jacob, qui prima po-
puli Hebræi fundamenta iccerunt,
originem traxit. deinde consequen-
tibus temporibus à tot regibus, iudi-
cibus, illustrib⁹ belli ducibus, è qui-
bus CHRISTVS Dominus noster
descendit, & secundum carnem na-
tus est. Ad Abrahamum enim pro-
missio illa à Deo facta est, quod in
semine ipsi⁹ (quod est CHRISTVS)
benedicerentur omnes gentes, &
quia Saluator noster substantiam
carnis sumpsit ex beatissima Virgi-
ne, certum est illam quoque ex eadē
Patriarcharum stirpe descendisse, &
quidem è regia tribu Iuda per Dauid
primum eius regem, sicut bene dixit
Propheta. Egredietur virga de radice
Iesse: quæ virga aliud non fuit, quā
sanctissima virgo nata ex stirpe Da-
uid, cuius Pater fuit Iesse. Deinde
fuit hic populus in magno honore,
ob summam eius tum in armis, tum
in opibus potentiam, uti appetet in
eius excessu ex Aegypto, In manu po-
eni & brachio excelsō. & in ingressu

Gen. 21.

Isa. 11.

Psal. 135.

ja

B V I R G I N E .

In terram promissionis, ubi duce lo-
sue eiecit Canaaneos, suisque victri-
cibus armis triginta reges expugna-
uit & occidit; ut omittam alias per-
multas victorias, à varijs Regibus &
Iudicibus, ut refert Scriptura, ex ho-
stibus relatas. Adhæc quanta opum
eius esset gloria, illustre testimoniu-
m suscepit ex eadem Scriptura, cōme-
morante æuo Salomonis in nullo
presso fuisse argentum, ut pote cuius 3. Reg. 10.
tanta fuerit Hierosolymis copia
quanta lapidum, & arborum syluc-
strum; præter immensam copiam
aliarum rerum, quibus populus ille
abundabat. Tertio fuit populus hic
celebratus ob sapientiā: nam in cæ-
teris nationibus, non nisi umbra
quædam sapientiæ, caq; terrena tota
& animalis existabat. Sed in hoc po-
pulo electo floruit vera & cœlestis
sapientia: quā non caro & sanguis,
sed Pater cœlestis reuelauit, secun-
dum illud, *Omnis sapientia à Domino*
Deo est. Hac diuina sapientia inspi-
rati sancti Prophetæ multa vera do-
gma prænunciârunt, hac imbutus
Sanctus rex David tot psalmos Pro-
phetico spiritu, & cantica in laudem
Dei, CHRISTI & Ecclesiæ scripsit.

Post

10f. 12.

Ecc. 1.

42 MEDITAT. DE

Post illum vero filius eius Salomon
ranta ornatus fuit sapientia, ut Re-
gina Saba ex ultimis terræ finib. ve-
nerit eius visendi & audiendi causa;
& postquam vedit & audiuit tot admi-
randa ei opera, dicit scriptura, quod
ex nimio stupore non habuerit ultra
spiritum. Denique in maximo hono-
re fuit hic populus ob sanctitatē, &
virtutū excellētiam: nam cū omnes
alij populi dediti essent immundo i-
dolorum cultui, varijsq; flagitijs, &
innumeris dēmonum superstitionib;
in hoc solo populo vera virtus,
vera religio, veræq; & sanctæ ceri-
moniæ ac sacrificia inueniabantur.
Huic populo Deus visibiliter e cælo
legem dedit, huic familiariter locu-
tus est, & in omnib. rebus fauore &
auxilio adfuit, Vnde merito dixit
magnus ille Dux Moses. En populus
sapiens & intelligens, gens magna: nec alia
est natio tam grandis, quæ habeat De-
os appropinquantes sibi, sicut Deus noster
adest cunctis obsecrationibus nostris.

Deut. 4.

3. CONSIDERA etiamsi beatissi-
ma Virgo à suis antiquis Patribus ob-
tantas eorum prærogatiwas nobili-
tata fuerit: nihilominus illa suis ex-
cellentibus diuinisq; virtutibus ma-
iorem.

iorem suis progenitoribus splendorem attulit , quam ab illis recepit . Vnde sicut pretiosa gemma annulo aureo inserta auget eius lucē & splēdorē , sic excellentes & ampliae illae rā naturae quam gratiae dotes cum nobilitate sanguinis in Maria coniunctae , totam eius stirpē multò clariorē illustrioremq; reddiderunt . Similiter quod ad potentiae prærogatiuam attinet , in hac quoq; virgine longe excellētior exstitit ; illa enim sola vicit & contriuit caput antiqui serpē . *Gen. 3.*
tis : cuius potentia tanta est , vt nulla potentia (vti scriptum est) in terra *Iob. 41.*
ei comparari possit . Fuit quoque M A R I A omnibus opibus , non terrenis , sed cælestibus instructissima : hæ enim (vt dicit quidam Sanctus) sunt veræ opes , quæ hominem locupletem reddit , non auro & argento , sed virtutibus . Donum item sapientiae in hac dignissima Virgine fuit copiosissimum , & longe præstantius , quā in omnibus eius maioribus fuit enim cōpleta quasi sapientiae pelago , quando verbum ēternū , in quo recōditierant omnes sapientiae & scientiae Dei thesauri , in beatissimū eius yterū descendit . *Col. 2.*

Denis.

44 MEDITAT. DE

Denique quod ad sanctitatem attinet, hæc beatissima virgo non est tantum opere nobilitata à suis maioribus, quantoperè illa sua singulari & excellēti sanctitate illustravit & ornauit suos maiores, quanta enim sanctitate prædictā fuisse arbitramur illā, è qua natus est sanctus sanctorum: illam, inquam, quæ penitus semper fuit munda corpore & spiritu, & ab omni peccati macula libera, illustri quadam virtutum corona adornata: illam, quæ ante sancta fuit, quā nata, suæque admirandæ sanctitatis splendore, longissimè omnem mortalem nobilitatem superauit? Vnde liquet, hanc augustissimam Virginē, non tam progenitorum suorū nobilitate ampliorem gloriam accepisse, quam ipsis potius maius decus & ornamentum attulisse. Neque mirari debes, eam, quæ ex tam illustri progenie oriunda erat, in tanta paupertate vixisse, vt, cum esset Dominus orbis paritura, non inuenierit nec diuersorum, nec locum ullū, in quo posset hoc cælestē pignus deponere, nisi sordidum quoddam stabulum, & contemptum præsepium: nam ita ordinarat & disposuerat altissi-

ma

ma prouidentia eius, qui gubernat omnia; volens, ut exemplum daret hominibus viuendo & moriendo in extrema paupertate. Pauperem quoque eligere voluit Matrem, ut quo profundior eius esset humilitas in vilitate status, hoc amplioris gratiae capacior esset, & in cælesti gloria eucheretur sublimius: neque enim vñquam supra omnes angelorum choros exaltata fuisset, si non infra omnes homines humiliata fuisset. Verum considera ad quantam humilitatem se filius altissimi propter te demittere voluerit; dum non solum nasci vult ex matre, secundum mundi conditionem, paupere, in opis fabri lignarij vxore, qui labore manuum victimum parabat, verum etiam, cum posset progenitores elgere iustos & sanctos, permisit in sacram suam genealogiā inferri multos peccatores & sceleratos, immo nullā in ea mentionem fecit mulierum sanctorum, sed tantum quarundam peccatriciū & infamium. Neq; mirum est, cū dedecoris loco nō habuisse, à Patribus peccatoribus origine ducere, cū nō puduerit eum ignominiosissime in crucem agi & mori

pro

46 M E D I T A T . D E

pro hominū salute. Voluit quoq; ea
se demonstrare, quantū amaret non
iam peccata, sed peccatores; nā quā-
diu in hac vita fuit, professus fuit se
speciatim ad illos vocādos venisse,
& ideo cum illis quoq; sāpius con-
uersatus est, & comedit: imò illos fa-
cit cibum suum, vt illos diuini spiri-
tus sui participes faceret. O bonitas
Dei ineffabilis, quot artib⁹ vtitur ad
inflammados peccatores, vt confi-
denter ad ipsum confugiant, quan-
doquidē tales voluit habere proge-
nitores. Quid igitur moramini ó pec-
catores? cur reformidatis adire illū,
qui cum esset filius Dei, propter vos
voluit fieri vester filius? O anima in-
felix, quā tot blanditiæ emollire ne-
queunt. O cor verè adamantinum,
quod tanta amoris vi non frange-
ris, neq; ad penitentiam cōmoueris.

4. C O N S I D E R A sanctissimū
dulcissimumq; B. Virginis nomen,
nam Maria varijs linguis exponi so-
let. Primo secundum Hebreos signi-
ficat stellam maris, vel mare amarū.
Secundum alios, Dominam, vel, ex-
altatam. Rursum iuxta alios, illumina-
tam, vel illuminatricem & popu-
li Magistram. Et certè omnia hæc
nomi-

nomina, & illustres eorum significations optimè conueniunt in illam. Est enim illa clarissima stella, *Eccles. 50.* quæ ex speciali gratia inter huius turbulenti sæculi vndas resplendet. Hæc est stella stellarū, cuius diuino lumine ducti homines & confortati securi per hoc magnum & spatiōsum mare ad cælestēm patriam transeunt. Quæ stella si non esset, quid aliud superesset in mundo, nisi densa caligo, vmbra mortis, & tenebræ obscurissimæ? Conuenienter verò MARIA comparata est stellæ; nam ut stella in firmamento collata est super orbēs planetarū; sic beata Virgo virtute & perfectiōne altissima est, omniumque aliorum Sanctorum sublimitatem, siue angelorum, siue hominum excedit. Conuersatio quoq; eius semper fuit sublimis & cælestis, sicut in persona eius scriptum est, *Ego in altissimis Eccles. 24.* habitavi, imò illa est ipsum cælum, in quo autor & Dominus cælorum sedem suam elegit. Præterea sicut stella, sine vlla suæ perfectiōnis iactura radios emittit, sic M A R I A sine vlo Virginitatis suæ detrimento filium, suum peperit: radij

48 MEDITAT. DE

radij non imminuerunt stellæ claritatem; nec Virginis integratatem filius. Hæc est nobilis illa stella orta ex stirpe Jacob, cuius radius mundū collustrat, cuius splendor emicat in cælis, infernum penetrat, & per terram diffusus potius corda & mentes quam corpora calefacit, conservat virtutes, dissipat & consumit vitia. Hęc deniq; est illa illustris & nobilis stella, quæ supra hoc mare nostrū exaltata, per eximia merita relucet, ratisq; virtutum exemplis totū orbem illuminat. Secundo nomen MARIAE significat mare amarū. O quot, & quam amaræ fuerunt dolorum & tribulationum aquæ, quæ usque ad tuam sanctissimam animā penetrarunt ô Virgo beatissima, quam magnis terroribus concussa fuit mēs tua, quot doloris cultri tuū cor transfixerunt? Verè omnes afflictiones, crucisq; martyrum, fuerūt quasi guttulæ aquarum dulcium; sed dolores tui, ô Regina martyru, fuerunt quasi mare spatiōsissimum, & amarissimum. Neq; mirum. Nam sicut tua caritas & amor erga CHRISTVM filium tuum, longe excessit omnem aliam caritatem & amore

crica.

Num. 24.

Rush. I.

creaturarum : sic dolor quem ob eū-
dem filium tuum pertulisti, omnem
alium dolorem, omneque martyriū
excessit. Tertio hoc nōmē MARIA
interpretatur Domina, vel exaltata,
& admodum cōgruenter : illa enim
nulli puræ creaturæ subiecta est:
quomodo enim potest subiecta esse
creatüræ illa, quæ est mater creato-
ris? mater eius, qui est Dominus o-
mnium creaturarum? Vnde, & quia
genuit creatorē & Dominum or-
bis, facta est Domina omnium crea-
turarum. Quare & in persona eius
rectissimè sc̄iptum est. *In omni gente*
Ex populo primatum habui. Imo si dice- Eccl. 24.
re licet, non modo facta est omniū
creatūrā Domina, sed ipsius quo-
que creatoris; nam de C H R I S T O
D. N. sc̄iptum est, *Et erat subditus il-*
lis. id est, MARIAE matri suæ, & ra-
tione illius etiam Iosepho. Ac certe
congruens erat, illam, quæ se humili-
arat infra omnes, exaltari supra o-
mnes & fieri Dominam omnium,
Imperatricem cæli, Reginam ange-
lorum & hominum, imò vsque ad
inferos super omnes aduersarios
imperium eius extendi & dilatari.
Denique hoc nōmen M A R I A si-

C gnifi-

Luc. 2.

MEDITAT. DE

gnificat illuminatam , vel illuminatricem & magistram populi . Quod enim lumē potuit deesse illi , tum pro ipsa , tum pro alijs quibus illud communicare poterat , in cuius sacramentum ventrem fons lucis descendit , vera illa lux , quæ de calo delapsa est ad illuminandos omnes homines in hunc mundum venientes ? Hæc diuina lux prius illuminavit & impieuit Matris mentem , quam ventrem : prius illustrata est à Spiritu sancto pro sua instructione , vt ipsa postea esset illuminatrix & Magistra aliarum , & ideo rectè ei dixit Angelus , *Spiritus sanctus superueniet in te . illa enim ante erat Spiritu sancto plena per suam sanctificationē , postea autem ipse Spiritus maiori abundantia illi superuenit , vt nos de eius plenitudine participaremus . Hæc est illa aurora , quæ prius illustrata à Sole , incipit luminis sui radios in terram extendere , hominesque excitare , vt à somno exurgant , & manum operi admoueant . O quot peccatores somno peccatorum sœpiti manerent , quot animæ interirent , si huius benignæ auroræ radiis non præuenientur & illuminarentur ; vt ope-*

Ioan. I.

Lxx. I.

Cant. 6.

B. VIRGINÉ.

SI

ribus tenebrarum relictis, inducent
se armis lucis, bonisque operibus va-
carent, donec verus Sol C H R I-
S T V S per gratiam suam in co-
rum cordibus renascatur? M A-
R I A igitur verè illuminata, & ve-
ra nostra illuminatrix ac magistra,
cuius scientia & sapientia tanta ex-
stinet, ut Dominus ex hoc mundo
descendens illam in suum locum
substituerit, ut non modo Aposto-
lorum, omniumque fidelium esset
Magistra, verum etiam esset perpe-
tua suæ Ecclesiæ lucerna, ad illam
contra omnes huius mundi tene-
bras & errores illuminandam. Ita-
que similis est miraculosæ illi co-
luminæ, quam legimus ducem suis Exod. 13.
se populi Israhelitici per desertum,
Interdiu quidem sub forma nubis,
ut cum tueretur aduersus radios
& astrum Solis: noctu verò in for-
ma ignis, ut splendore suo illis com-
monstraret iter. Non secus M A-
R I A hæc nostra viua & vera co-
lumna, omnibus nobis in hac pere-
grinatione versantibus, est instar
nubis, ut nos tueatnr ab arbore di-
uinæ indignationis, & diabolicarum
tentacionum incendio. Est quoque

C 2 columna

MEDITAT. DE

32
columna ignis, ob multa misericordiaæ exempla erga genus humanum demonstrata. Columna verè ignea, quæ non solum in terra nostrarum mentium tenebras dispulit, pectora nostrorum glaciem dissoluit, & corda diuino amore accendit; sed in esilio quoq; illuminauit & inflammauit angelos, suoq; splendore vniuersam ciuitatem Dei exilarauit.

S. CONSIDERA extrema verba, hoc est, Iacob genuit Ioseph, virum MARIAE, de qua natus est IESUS. In Euangeliō tantum fit mentione genealogiae Iosephi, & non CHRISTI, quia Dominus in terra non habuit Patrem, sed tantum Matrem: non conueniebat autem Genealogiam Marris describi, quia consuetudine Scriptura virorum tantum, & non mulierum Genealogiæ ratio habetur, licet iā genealogia virorum, mulierum quoque generatio continetur. Erat enim mandatum Legis, ne quis nisi è tribu sua & parentela uxorem acciperet. Quoniam ergo Ioseph originem habebat è tribu Iuda, perspicuum quoque erat MARIAM sponsam suam ex eadē tribu, regia.

Num.36.

giaque stirpe Dauid fuisse, ac proinde ex eadem quoque erat C H R I S T V S. Dominus noster ex ipsa natu. Nunc considera illa verba, De quanatu est L E S V S. Vbi nota Euangelistam post nominatos in eius genealogia tot Patriarchas, Reges & Prophetas, tandem sub finem, atque si omnium virtutum & perfectionis quasi summam veller indicare, nominauisse sanctissimam Virginem, & addidisse, ex ea CHRISTVM natum, ut nimurum significaret, quem admodum sola ipsa fuerat ad tantam dignitatem electa, sic omnibus alijs sanctis in virtutum copia anteceduisse, quarum perfectiones in ea tanquam in compendio sublimiori quadam ratione comprehensa fuerint, sicut in persona eius scriptum est, In plenitudine Sanctorum detentio mea in plenitudine omnium perfectionum in sanctis existentium meum fundamentum collocaui. Quare necesse fuit ut diuina Scriptura specialem quorundam Sanctorum, ut S. Ioannis, S. Petri & Pauli, &cæt. Faceret mentionem, ut Meorum virtutes ac merita hominibus innotescerent: de hac autem sig.

Eccl. 14.

C 3. ex.

54 M E D I T A T . D E
excellentissima Virgine , si aliud, ni-
bil scriptum fuisset , quam hæc vera
ba. De qua natus est I E S U S , satis fu-
isset , ad intelligendum tot tamque
eximias virtutes in illa collectas fuis-
se, que nulla humana lingua , sed nec
angelica explicari possint. Quæ enim
sanctitas , quæ iustitia , quæ religio,
quæ alia perfectio potuit decesse
M A R I A E , quæ plena fuit ipso
fonte auctorè que diuinæ gratiæ ? Vn-
de si hominum matres tanto maiori
honore & reverentia dignæ repu-
tantur , quo illorum filij celebri-
res & maiores sunt in mundo , quan-
to honore & reverentia digna erit,
& omnibus anteferenda creaturis , è
qua natus est non rex , vel Imperator
terrenus , sed Deus rex cæli , & Mo-
narcha vniuersi ? Lætare ergo anima
mea , quia in hoc die nata est nostra
Regina , immò mater nostra : nam post
quam Dominus tuus voluit nascen-
do ex illa fieri noster frater , illa pari-
ter facta est nostra mater . Et primo
quidem est Mater , quia nos genuit,
largiendo nobis per filium suum
esse spirituale gratiæ , quod longe
perfectius est esse naturali ; quare
meritò vocatur mater Ecclesiæ &
mater.

B. VIRGINĒ.

35

mater gratiæ. Secundo vocatur
mater ob dignitatem, scilicet Supe-
riores & Maiores nostros, à qui-
bus gubernamur vocamus Patres:
illa enim est Domina nostra, &
pariter angelorum, supra omnes
benedicta. Tertio illa est mater, ra-
tione affectus singularis in nos,
nam materno quodam pietatis affe-
ctu semper conatur nobis in omni-
bus necessitatibus adesse & opitula-
& à filio impetrare omnia dona
& charismata ad salutem nostram
necessaria; speciatim autem solet no-
bis adesse in morte, ne à draconे illo
infernal (qui illo temporis articulo
graulter solet esse infestus, rapia-
tur & absorbeamur. Tu ergo ani-
ma mea ne ingrata sis & indigna-
tanta Matre, intimo cordis tui af-
fectu te ad illam conuerte, eamque
velut dulcissimam, amabilissimam-
que matrem amore filiali ardenter
ama; nec vñquam eam laudare, om-
niisque honore & pietate reuereri in-
termitte, vt cum demonstrueris te
piam & deuotam esse illius filiam, se-
quoque demonstreris tuam esse bonā
& misericordem matrem.

6. CONSIDERA, quoniam tanta

C 4 cft.

56 MEDITAT. DE

est huius nobilissimæ Virginis per-
fecatio & excellentia, quam bene fi-
liae Hierusalem quasi admirabun-
dæ dixerint. Quæ est ista, quæ oriur
quasi aurora consurgens, pulchra ut luna,
eleæta ut Sol, terribilis ut castrorum acies
ordinata? Verè apparuisti in mundo,
Virgo benedicta, instar resplenden-
tis auroræ, quando tanto sanctitatis
splendore in ortu tuo præuenisti
splendorem Solis veri. Et merito de-
buit claritas tua principium dare diei
salutis, diei remissionis & indulgen-
tiæ, & illi diei, quam fecit Dominus,
in qua tolli cœpit totius humani ge-
neris opprobriū, publicariq; pax ho-
minibus bonæ voluntatis. Fœlix au-
rora, quæ tā fausti diei fuisti nuncia.
Quam bene diei cum tali aurora, &
auroræ cum tali die conuenit? atq; et
iam quam bene explesti officium au-
roræ? Nam Sol iustitiæ ex te nascitu-
rus, suam nativitatem præueniens,
radios lucis suæ ante te emisit, qui-
bus illustrata potestates tenebrarum
depulisti ab Eua introductas, atque
ita in mundum solem illum tanto-
perè ab omnibus gentibus desidera-
tum induxisti. Auroræ quoque of-
ficium exercuisti, quia sicut aurora
media.

Cant. 6.

media est inter diem & noctem, so-
lemque antecedit, sic tu es fidelis:
mediatrix inter D E V M & pecca-
tores, tuoque ortu annunciasti ad-
uentum Saluatoris ex te nascituri.
De te etiam dicitur, quod pulchra-
sis ut Luna, & merito; nam sicut Lu-
na, omnibus alijs stellis est similior
Soli, suoque mirifico candore om-
nes vincit, atque etiam ob lumen
à Sole acceptum nobis maiorem
lucem communicat, sic tu, vt ima-
go expressissima veri Solis tua puri-
tate virginea inter mille stellarum
Deo continuo assistentium myria-
des, supra omnes gloriosè resulges.
Luna luminis solaris particeps fa-
cta, noctis illustrat tenebras: tu quo-
que clarissimis virtutum, quas Do-
minus tibi communicauit exemplis,
homines ad te imitandum prouo-
cas, & nostræ noctis caliginem luce
tua dispellis, qui enim tuis insistunt
vestigijs non ambulant in tenebris,
sed lumen vitæ inueniunt: imò tu
multo pulchrior es Luna, quia tota
pulchria es, & nulla macula est in te,
quæ tamen est in Luna. Denique ele-
cta es ut Sol, non ut noster Sol, sed ut
verus Sol, huius solis creator; de quo,

C 5 sicut

M E D I T A T . D E

Cant. 5.

sicut scriptum est , quod electus sic
inter multa virorum milia, sic tu elec-
ta es inter multa mulierum milia.
Et sicut Sol radios lucis suæ tam su-
pra se versus cælum & stellas , quam
ad inferiores terræ partes emittit, sic
tu beneficiorum tuorum splendore
non solum terram adimples gratia,
sed cælum quoque gloria. Homines
enim in mundo gaudent se opera-
tua interueniente liberatos, & Ange-
li in cælo, suum numerum te media-
trice restauratum . Postremo es terri-
bilis ut castrorum acies ordinata.
Maximo enim timore & terrore co-
cussi sunt tenebrarum Principes,
quando præter omnem morem , su-
praque humanæ naturæ vires con-
tra se procedentem viderunt mulie-
rem tot armorum generibus instru-
ctam , mulierem tam fortem & in-
bello exercitataam , accinctamque
gladio super fœmur contra timo-
res nocturnos , & in circuitu eius
spiritualium cælestiumque viru-
tum validissimum exercitum. Turcæ
potestates illæ infernales magno
pauore & formidine perterritæ
proculdubio , intra se dixerat . Vnde
de huic tantum robur? vnde fortis-
tudo?

Cant. 3.

tudo illi maior quam Euæ? fugia-*Gen 32.*
mus Hi enim Dei sunt exercitus &
castra. Verum tu o nobilis bellatrix,
prima omnium in hostem viriliter
insiliisti, qui initio decepit, & vicit
primam matrem Euam, illi contri-
uisti caput, illum principio expu-
gnasti, quare perterrefactus hostium
exercitus, videns cæsum belli du-
cem, dilapsus in fugam se recepit. O
quam felix nobis fuit hæc mutatio
EVAE in MARIAM, mulie-
ris imbecillis in tam fortem, ma-
tris crudelis in misericordem; E-
VA enim nobis fructum mortis
porrexit; MARIA verò fructum
attulit vitae. Eua comedens de arbo-
re vetita, fructum dedit marito: con-
tra MARIA nobis dedit panem Ange-
lorum, illum panem viuum de cælo
descendentem ut det vitam mundo.
Eua fuit mater carnis, mater peccati, *Ioan 6.*
exili, omnisiq; miseriæ nostræ. MA-
RIA est mater spiritus, mater gratiæ,
mater omnium misericordiarum, o-
mniumq; honorū nostrorum EVA
ivam Dei prouocauit, mortē homini-
bus attulit, & diuinam gratiā perdi-
dit. MARIA contra nos Deo recon-
ciliauit, vitam restituit, & gratiam ab
opus

60 MEDITAT. DE

Eua amisitam inuenit. EVA fuit op-
probrium & dedecus omnium mu-
lierum. MARIA est omnium mu-
lierum decus, splendor & ornamen-
tum. Eua ob superbiam suam victa
est à dæmonie. Maria autem sua hu-
militate vicit dæmonem. Denique
omnes maledictiones quæ culpa Euæ
in caput nostrum reciderunt, omnes
sunt MARIAE benedictione subla-
tæ & antiquatæ. Quare verè de ea ca-
nit Ecclesia, *Sumens illud Aue, Gabrielis*
ore, fundantes in pace, mutans Euæ no-
men.

7. I AM verò cui rei poterimus te
assimilare mater omnis pulchritudi-
nis? quia omnium deliciarum hor-
tus es, hortus ille vndique conclu-
sus, nunquam peccato infectus. Tu
es instar hortuli affabre constructi,
hortus sanctis aromatibus plenus,
& manibus illius cælestis hortula-
ni concinnatus, ac varijs pulcher-
rimisque omnium virtutum florib-
us vestitus: quorum odore suauissi-
mo totam domū Dei comples & cō-
fortas. O MARIA viola humili-
taris, liliū castitatis, & rosa charitatis.
Merito in hoc hortulo tuo exori' est
speciosus ille supra omnes paradisi
flo.

Cant. 6.

flores, in quo requieuit Spiritus Do-
mini. Tu verè es paradiſus Dei: quia
mundo produxisti arborem vitæ: de-
cūs suetu, quicunque comederit
viuet in æternum. Produxisti item
fontem viuum ex ore altissimi pro-
deuntem, & per sacrum ventrem tuū
scaturientem, qui in quatuor deinde
partes ad rigandam totam terræ no-
stræ aridæ & desertæ faciem, diu sus-
est. O quantum genus humanum
Mater sanctissima tibi obſtrinxisti,
quod merueris esse aquæ ductus a-
qua tam ſalutaris pro nobis. O luci-
dissima lampas, quaet tot homines il-
luminasti & exhilarasti, tantumque
diuinæ gratiæ ſplendorem iucundo
tuo Natali attulisti ſedentibus in te-
nebris & umbra mortis. O dulcis, o-
pia, o verè amabilis M A R I A, cuius
dulcissimum nomen à dilectis tuis
auditi non potest; niſi mirificè rekre-
entur. Fuisti quoque o beatissima
Virgo ad imitationem tui filij, no-
mine nouo appellata, quod ore Do-
mini nominatum est per angelum,
quando tibi dixit. Ne timeas Ma-
ria, Hoc sanctissimo nominete or-
nauit Pater æternus, quod post be-
nedicti filij tui nomen, eſi ſuper or-

Cant. 2.

Eccl. 24.

62 MEDITAT. DE
mne nomen, ut in nomine quoque
MARIAE omne genu flectatur cæ-
lestium, terrestrium & inferorum,
& omnis lingua confiteatur huius
benedicti nominis gratiam, gloriam
& virtutem ; quia post nomen dul-
cissimum I E S V , nullum aliud sub
cælo hominib. datum est, à quo tan-
ta salus, tantumq; præsidium huma-
no generi prouenerit. Quare illa ipsa
verba q; tu dixisti de dilecto tuo spon-
so, Oleum effusum nomen tuum , posset
quoque ille admodum conuenien-
ter pronunciare de te, dicens, Vnguen-
tum effusum nomen tuum . Dulce enim
nomen tuum aliud non est quam
pretiosum vnguentum, ex varijs aro-
matibus, ciunamomo , balsamo &
mirra electa compositum: de quo
scriptum est, quod per vias suauissi-
mum spargat odorem. Rectissime
autem nomen tuum assimilatum
est vnguento aromatico: nam vt
vnguentum non solam bonum o-
dorem reddit, sed etiam medicina
est, quia calefacit, emollit, & con-
fornat, easque partes, in quas effundit-
ur, lucidas & splendidas reddit: sic
gloriosum nomen tuū quoties no-
minatur odorē suauem sanctitatis o-

Cant. I.

Cec. 24.

mni.

B. VIRGINER M

mniumq; virtutē reddit; simulq; me-
dicina est, imo in star opulentē phar-
macopolē est, in qua omnia antido-
ta pro sanandis cuiusq; generis mor-
bis tam spiritualibus quā corporalib.
cōtinentur. Vnde si quādo cōtingat
hominem in se sentire cor frigidum
& aridum, omni deuotionis destitu-
tum affectu vel rerum diuinarum
sensu & memor nominis M A-
R IAE in mentem revocari rara
virtutum eius exempla, mox sentiet
se interius accendi, & affectu deuo-
tionis, imitationisque desiderio in-
flammari. Similiter, si quis consue-
tudine prava delinquendi euaserita
induratus & obstinatus in malo, ta-
ctus autem & illustratus vno huius
stellæ radio inuocari cum desiderio
se iuuandi & è luto emergendi, hoc
dulcissimum nomen M A R IAE,
non dubium quin illico, cum interces-
sione spe de salute concepta, emol-
liendum sit ejus cor, ipsi vero in
brachijs & sinu huius suæ potentissimæ
& benignæ aduocatæ se sit depon-
situs. Adhæc, quicunque in
aliqua æratura fuerit vel pericu-
lo, si ex corde inuocari hoc nos
mca potentissimum M A R IAE.

con-

64 MEDITAT. DE

continuo ad aspectum huius lucis:
huiusque diuini præsidij, totum se-
sentit refocillari & corroborari, o-
mnisque tristitie nubes mox euane-
cit, & serenitas consolationis in a-
nimam reuertitur. Denique in om-
nibus temptationibus & infirmitati-
bus animæ nostræ, & in omnibus
corporis nostri necessitatibus, hoc
sanctum nomen vnicum remedi-
um est & refugium: nec vñquam vi-
lus in vlla tribulatione exstigit, qui
ea cum deuotione inuocata, præsens
auxilium non senserit. Postremo,
ut partes eæ quæ vnguento delibatae
sunt, claræ efficiuntur & lucidæ, sic
omnes animæ quæ specialiter huic
sancto nomini sunt deuotæ, atque
hoc pretioso & odorifero vnguento
sunt inunctæ, quam rogo, bellæ sunt,
quam in angelorum æquè ac homi-
num oculis resplendent, per men-
tis humilitatem, cordis puritatem,
morumque sanctitatem?

COLLOQUIVM.

O Virgo nobilissima, o nostra re-
splendens aurora, quæ fælici
ortu tuo, bonum illum nuncium at-
tulisti.

tulisti de nostri veri Solis aduentu, Saluatoris nimirum tantopere desiderati, & ab omnibus gentibus expectati; oto te per hanc eximiam & singularem gratiam, qua te elegit in suam Matrem, ut intimum veræ devotionis erga te affectum mihi impetrare velis, & in meo quoque corde oriri, ac pariter salutari tui ortus luce totam animam meam reformare, mortificando meos sensus, mundando affectus, & ab omnibus terrenis cupiditatibus cor expurgando, amoreque rerum cælestium illud accendendo, ut ita præparata, digna reddatur aduentu solis illius iustitiae, qui sicut non dignatus est per te ad nos descendere, sic quoque per te ad illum mereamur peruenire, & gloria eius in cælo participes fieri; qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat in sæcula sæculorum. A M. E. N.

D O C V M E N T A.

I. **S**IC VIT stella, cui beatissima Virgo assimilata est, radios suos in utilitatem totius mundi emittit, sineulla lucis & perfectionis sue iactura, sic nos ita vacare debemus iuandis animabus aliorum;

¶ occu-

65. MEDITATY DE

¶ occupare nos in Sanctis exercitijs caritatis erga proximum, vt non faciamus iocuram proprij Spiritus & projectus nam, vi loquitur Dominus, parum prodest homini totum lucrari mundum, si anima sua detrimentum patiatur.

2. VIRGO beatissima comparata est auroræ, quæ lumine à Sole recepito dispellit noctis tenebras: nam primo, dum solem iustitiae conciperet, fuit ab eo maximus Spiritus sancti donis illustrata: postea autem ipsum solem sacro partu suo pro salute mundi foras edidit. Quare qui volunt lucem suam in publicum prodere, suumque spiritum proximis in animarum subfiliū communicare, debent primum ipsi hunc solem concipere, huncque diuinum spiritum: vt prius hac luce illuminati possint & alios illuminare: alioquin conueniet in eos dictum illud Domini, Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in fo-ueam cadunt.

Matth. 15.

3. Etsi beatissima virgo oriunda sit ex tam nobili & regia stirpe, nihilominus Dei filium non assumpit carnem ex illa, quod à tam illustribus progenitoribus de-scenderet, sed quia, vt ipsa testatur, respe-xit humilitatem ancillæ sue; vt indicaret Spiritum sanctum aspernari superbos cor-de, humiles vero corde respicere, sicut scri-

ptum.

ptum est. Deus superbis resistit, humiliis autem dat gratiam.

I. Petos.

4. B. Virgo quæ ante mundum conditum in æternæ sapientiae consilio et cœlum in Matrem Dei, licet ex stirpe regia oriunda fuerit, non ideo a humanae dignitatis laude celebrata fuit, aut opibus abundantavit, & temporali prosperitate, sed in continua paupertate & submissione vixit, multasque in hoc mundo passa est persecutiones & aduersitates: unde nos discimus respuendos honores & voluptates huius mundi, & rerum terrena- rum copiam fugiendam. Contra vero adimplandam beatissimam Virginem, reprehendam & coercendam esse carnem nostram, & in anima ac corpore nostro continentem crucem CHRISTI deportandam: nam si in hoc mundo confixi fuerimus gladio MARIAE, in altero quoque una cum illa æterne felicitatis dulcedine plenè refocillabimur.

5. CHRISTVS D.N. in hac genealogia vocatur filius David: quia sicut David antequam ad regnum peruenisset, passus est varias, easque grauissimas persecutions, multosque labores & erumna sustinuit, ita CHRISTVS antequam intraret in gloriam suam, plurimum laborauit.

gra.

grauissimasque afflictiones perpeccus esti
vi intelligant, qui cohæredes C H R I S T I
esse volunt, imprimis necessarium esse, ut
existiment multas tribulationes sibi per-
ferendas, & instar mulieris parturientis
merores doloresque perferendos, ut deni-
que cum C H R I S T O ipso lœtari & re-
gnare possint.

6. C H R I S T V S D. N. voluit in
genealogia sua multos viros malos &
mulieres peccarices, atque etiam non-
nullos pauperes, sigillatum Iosephum,
& suam sanctissimam matrem nomina-
nari. Hoc discriminem est inter spiritum hu-
ius mundi, & spiritum Dei, quod homines
mundani tantum glorientur de honoribus,
dignitatibus, & opibus temporalibus: sed
homines spiritales potius glorianter in
sua infirmitate & ignominia, imò pudet
eos in alia re gloriari, quam in cruce
C H R I S T I, hoc est, in sui contempi &
ignobilitate.

7. ET & I C H R I S T V S D. N. eius-
que mater sanctissima, multos ex maiori-
bus suis partim iustos & pios, partim sce-
leratos & infames habuerint, nihil tamen
inde de ipsorum honore & gloria accessit
vel decepit. Vnde colligimus, non paren-
tum vitia vel flagitia, sed proprias vir-
tutes vel virtus cuique homini vel hon-

rere

rem vel dedecus conciliare. Quare nec debeni filij, aut nimium se exiollere ob maiorum suorum gloriam, nec etiam pudefieri, ob eorum utilitatem vel infamiam, sed sua vita pia & sancta, bonisque moribus debent comparare bonam famam & existimationem: si enim ipsi fuerint virtute praediti, nec vilitate maiorum suorum obscurabuntur, nec prava eorum vita vlo modo inquinabuntur: sicut con-
tra ira, si fuerint flagitiosi, nihil eis proderit dignitas vel san-
ctitas suorum ante-
cessorum.

DE



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN